Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

DE

LIQUORE PERICARDII

QUAM

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. GEORGIO HENRICO EISENMANNO

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET CHIRURG. PROF. PUBL. ORD. CELEBERR. ET CAPIT. THOM. CAN. DIGNISS. h. t. UNIVERS. RECTORE MAGNIFICO

PATRONO ATQUE PRÆCEPTORE SUO SUMMOPERE COLENDO

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI OFFERT

JOHANNES JACOBUS ROTH

ARG.

AUCTOR

AD DIEM 3. SEPTEMBRIS MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,
Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

DEO
PATRIÆ
PATRONIS
ATQUE
AMICIS.





I. N. J.

§. I.



Rimanti Pectus, antequam Cor examini ſubjici poſſit, removendus eſt ſaccus quidam membranaceus, in parte media & infima Thoracis inter duos Pulmonis lobos ſitus, Cor laxe includens. Pericardium vocatur. Figura hujus ſacci aliquo modo conoidea eſt, Cordi analoga, fere triangularis. Quod magnitudinem ejus attinet, per experimenta inſtituta conſtat, (a) Pericardium fere duplo Corde majus eſſe, ut nempe illud eo liberius intra Pericardium moveri, eoque commodius in illo contineri queat.

§. II.

Connectitur Pericardium *α*) cum Venis magnis, Cava nempe, atque Pulmonali, ſupra Cordis Auriculas ante earum ramificationes, cumque truncis Arteriarum, Aortæ atque Pulmonalis, itidem ante earum diviſionem. *β*) Cum Diaphragmate, non quidem mediante apice, ſed illa parte, quæ reſpicit planam ſive inferiorem Cordis faciem, & quidem adeo fortiter, ut ſine diſciſſionis metu raro ab eodem ſeparari queat. *γ*) Cum Mediaſtino, mediante tunica ſua extima ſive communi. (b)

(a) HALLER. in Prælect. Acad. Boerh. Voll. II. p. 94.
(b) WINSLOW. Anat. Trait. de Thorace. p. m. 47. & ſqq.

§. III.

Pericardium e tribus (c) conflatur laminis. 1) Extima ſive communis a Mediaſtini duplicatura formatur, & annectitur mediæ ſive propriæ, mediante prolongatione ſubſtantiæ celluloſæ hujus duplicaturæ, eo in loco, ubi Diaphragmati aſſociatur, deſtituitur hacce communi membrana. 2) Media quæ proprie Pericardii ſaccum format, conſtat ex fibris tendineis valde ſubtilibus, varieque ſe invicem decuſſantibus. 3) Interna tunica externæ Cordis, auricularum magnorumque vaſorum ſanguiferorum membranæ continuatio eſſe videtur, in qua multa atque innumera conſpiciuntur foraminula atque pori. (d)

§. IV.

Vaſis Pericardium gaudet tam venoſis quam arterioſis & lymphaticis. Arterias & Venas vel Mammariæ internæ, vel Mediaſtinæ, Pericardinæ atque Diaphragmaticæ ſuperiores ſuppeditant. Lymphatica vaſa ad thoracicum ablegantur ductum (e). Nervos ſenſus motusque miniſtros & auctores a pari vago, intercoſtali & diaphragmatico mutuatur.

§. V.

Quoniam vero Cor, princeps humorum ad vitam requiſitorum fons, ſanguinis laticem, oeconomiæ corporis animalis dicatum, Syſtole ſive contractione per vias arterioſas propellere, per Venas vero ex omni corporis puncto reducem Diaſtole, ſive dilatatione in ſuos recipere ſinus, a provida fabrefactum eſt Natura; ideo benigniſſimus Creator & Arti-

---

(c) Alii ex duplici tantum Lamina conſtare aſſerunt; vid. HEISTERI. Compend. Anat. §. 260. (d) WINSLOW. l. c. (e) HEISTER. l. c.

Artifex ſapientiſſimus Pericardio illud incluſit, ut *a*) pendulum quaſi, maxime quando dorſo incumbimus, ſuſtentetur, ſicque absque depravatione motus atque ordinis ſtabili ſemper in ſitu detineatur, qui ſine præſentaneo vitæ periculo diſturbari non poteſt. *b*) Ut Cor ab injuriis aëris frigidioris in Pulmones in inſpiratione irruentis defendatur. *c*) Ut Pericardium propugnaculi vice fungatur, ne pus, aqua aut ſanguis, in Thoracis cavitate ſtagnantia acrimonia ſua Cor facile lædere poſſint. *d*) Ut idem humidum quendam vaporem, Humor, Aqua vel Liquor Pericardii communiter, ſed improprie ita vocatum, pro expeditiori Cordis motu contineat. Interim tamen, ſi fides habenda Obſervatoribus, Pericardium quibusdam in ſubjectis Cordi circumquaque intime annexum, & undique firmiter adnatum deprehenſum fuit, quale quid Littrius in homine enſe perfoſſo & mortuo vidit (f). Idem Acta Med. Berolinenſ. memoriæ produnt (g). Sic & Ephemer. Natur. Curioſ. mentionem faciunt Pericardii pollicis craſſitiem adæquantis cartilaginea duritie, cumque Corde & Diaphragmate firmiſſime coaliti (h). Quid, quod plane defeciſſe illud in fœmina quatuor & quinquaginta annorum habet modo citatus Littrius (i). Tulpius ſimile profert exemplum (k). Schenkius Juvenis cujusdam mentionem facit cui Pericardium deerat (l).

§. VI.

Remoto Pericardio in conſpectum venit Cor, quod

(f) Hiſt. de l'Acad. Royal. des Scienſ. Ao. 1701. p. 68. & Ao. 1706. p. 27. (g) Decad. I. Vol. II. p. 106. (h) Volum. II. Obſ. XX. p. 48. (i) l. c. Ao. 1712. p. 47. (k) Obſerv. Medicar. Lib. II. p. m. 136. (l) Obſerv. Medicin. Lib. II. p. 268.

quod eſt ſubſtantia muſculoſa, robuſtiſſima, Pericardio incluſa, in medio fere Thoracis, & anteriore Diaphragmatis parte, inter duos Pulmonis lobos pendula, circulationis ſanguinis & vitæ organum primarium. Figura ejus quodammodo conica eſt, in duabus faciebus planum, apex rotundus, pars ſuperior lata. Conſideranda igitur in Corde ſunt α) Baſis. β) Apex, Mucro, Conus l. Cuſpis etiam vocata. γ) Duæ margines. δ) Duæ ſuperficies, quarum inferior admodum plana, ſuperior vero magis convexa exiſtit.

§. VII.

Situs Cordis fere totus transverſus & ferme horizontalis eſt; maxima ejus pars in ſiniſtra Thoracis cavitate hæret, apex extremitatem oſſeam ſextæ coſtæ veræ reſpicit, ubi pulſare percipitur. Plana illius ſuperficies Diaphragmati incumbit, convexa vero ſurſum ſpectat. Baſis in dextro Thoracis latere locata eſt, & Auriculæ, præcipue dextra Diaphragmati incumbunt. Baſi ſua ſuſpenditur a Venis & Arteriis magnis, apex autem liber eſt. Mediante Pericardio connectitur cum Mediaſtino, Sterno atque Diaphragmate. Magnitudo ejus non tantum pro diverſa corporis ſtatura, ſed & pro varia illius relaxatione, conſtitutioneve plurimum variat, communiter vero ſex circiter transverſos digitos longum eſt. Latitudo baſeos inter quatuor & quinque, totius ambitus tredecim circiter vel quatuordecim digitorum eſſe videtur (m).

§. VIII.

Cor interne cavum eſt, & in duas dividitur cavitates per ſeptum intermedium ambabus commune

(m) VERHEYEN. Anat. Tr. III. Cap. VII. p. m. 247.

ne (n) quæ Ventriculi vocantur, quorum unus debilior & tenuior, ſed utplurimum capacior, alter longe robuſtior & craſſior, at anguſtior eſt, hic ſiniſter, ille dexter, ſed improprie, vocatur, dexter enim in anteriore magis Thoracis parte, ſiniſter in poſteriore ſitus eſt, unde rectius ille anterior, hic poſterior vocari deberent (o). Componuntur ex fibris carneis valde craſſis & robuſtis, plus minusve circularibus vel angularibus plicatis. Interius & exterius Cor tenui cingitur membrana, cui adeps adnaſcitur maxime circa baſin & apicem, pro facilitando ejusdem motu perpetuo, utque lubricum ſervetur. Vaſa habet & propria & communia. Propria ſunt Arteriæ & Venæ Coronariæ dictæ, quoniam Cordis baſin coronæ in modum cingunt. Hæ innumeris ramulis & anaſtomoſibus vario modo per ipſum Cor diſtribuuntur. Vaſa communia ſunt Arteria Aorta, e ſiniſtro Cordis ſinu egrediens. Arteria Pulmonalis e dextro emergit antro. Vena Cava dextro inſeritur ventriculo, & Vena Pulmonalis in ſiniſtram Cordis hiat cavitatem. Nervos non adeo inſignes accipit a pari vago & intercoſtali.

§. IX.

Cor in baſi ſua duabus gaudet appendicibus, quæ ſunt duo ſacculi muſculoſi, unus ad latus Ventriculi dextri, auditque Auricula dextra, longe major ſiniſtra; alter ad latus ſiniſtri antri, & Auricula ſiniſtra ſalutatur. Subſtantia gaudent muſculoſa, interius columnis quaſi lacertoſis cum interjectis ſulcis. Impulſioni ſanguinis in Cor dicatæ ſunt; longe vero graciliores Ventriculis, ita ut dextra quibusdam in locis ex duplicatura tantum membranæ Cor & Auriculam cingentis conſtare videatur (p).

§. X.

(n) WINSLOW. l. c. §. 42. (o) id. l. c. §. cit. & §. 76.
(p) WINSLOW. l. c. §. 65. & ſeq.

§. X.

Ambo Cordis Ventriculi & Auriculæ, præprimis dextra gaudent intus multis lacertulis ſive columnis carneis, totidem quaſi parvos formantibus muſculos, quibus adhærent chordæ quædam tendinoſæ, altero ſuo extremo cum Valvulis Tricuſpidalibus & Mitralibus connexæ. Sciendum enim ad orificia tam auricularia, quam arterioſa Ventriculorum Cordis reperiri peculiares quasdam pelliculas mobiles, Valvulas dictas, quæ triplicis ſunt ſpeciei. Ima comprehendit Triglochinas ſive Tricuſpidales, quarum tres numero ſunt, ad ingreſſum Sinus Venæ Cavæ in dextrum Ventriculum. II. Mitrales duas ad inſertionem Sinus Venæ Pulmonalis in ſiniſtrum Ventriculum. Hæ duæ ſpecies ſanguini introitum in Cor permittunt, refluxum vero in Venas impediunt. III. Semilunares ſive Sigmoideas, quarum tres in principio tam Aortæ, quam Arteriæ Pulmonalis inveniuntur. Hæ latici rubro exitum concedunt, reditum vero ex Arteriis in Cor occludunt, & roboris cauſa fibris carneis corpuſculisque ſphæroideis in medio marginum inſtructæ ſunt (q).

§. XI.

Deſcripto Corde atque Pericardio quantum ad ſcopum noſtrum pertinet, de hujus ſic dicto Liquore nunc nobis agendum venit: qui liquidum eſt loturæ carnis ſimile, quandoque magis rubicundum, quandoque magis ad flavum vergens colorem, quod interdum, ſed in parva plerumque copia in Pericardio morbo quodam defunctorum reperitur. Multæ atque magnæ lites de hac Pericardii aqua inter Anatomicos nullo non tempore fuere, cum alii dubii illam negarent, inter quos BOHNIUS (r), alii perpetuo eandem in ſtatu ſani-

(q) WINSLOW. l. c. §. 58. ſqq. (r) Circ. Anatom. Phyſiolog. Progymn. XX. p. 283.

ſanitatis adeſſe ſtrenue affirmant, inter quos HIPPOCRATES (s) VESLINGIUS (t) THOM. BARTHOLINUS (u) LOWERUS, (w) FANTONUS, (x) MAURIT. HOFFMANNUS, (y) LANCISIUS, (z) MURALTUS, (aa) THEBESIUS, (bb) VERHEYEN, (cc) HEISTER, (dd) HOVIUS (ee). Quidam dicunt, eam ſuam debere originem morbo, aut mortis cauſam eſſe, aut brevi ſaltem ante mortem tempore in præcordialem effundi vaginam, inter quos numerandi ſunt ſupra citatus BOHNIUS, GEORG. BAGLIVIUS (ff) & alii.

§. XII.

Non minor quoque inter Auctores eſt diſſenſio de origine hujus lymphæ. Sic HIPPOCRATES l. c. eandem a potu, cujus pars aliqua inſtar roris penetrat ex Aſpera Arteria in Venoſam, ducendam eſſe exiſtimavit. LOWERUS, FANTONUS, MAUR. HOFFMANNUS, LANCISIUS aliique a glandulis in Pericardio & Corde reperiundis illius ortum deducunt. Muraltus & alii glandulam Thymum huic officio deſtinatam eſſe credunt. VESLINGIUS, THOM. BARTHOLINUS & WINSLOW l. c. a vaporibus ex Corde atque Pericardio illam oriri ſibi perſuaſum

B

(s) Περὶ καρδίης T. I. §. 41. p. 289. Edit. ANT. van der LINDEN. (t) Syntag. Anat. Cap. X. p. m. 117. (u) Anat. Renovat. Lib. II. de Thorace Cap. V. p. m. 350. (w) Tractat. de Corde Capit. I. p. m. 4. (x) Anat. Corp. Human. P. I. Differt. XI. p. 278. (y) Differt. de Pericard. Altorff. 1690. (z) Tractat. de Corde & Anevriſin. Lib. I. S. I. C. V. (aa) Colleg. Anat. Lect. XIX. p. m. 315. (bb) Differt. de Circulo Sanguin. in Corde §. 32. (cc) Anat. Corp. Human. Tract. III. Cap. VI. p. 246. (dd) Compend. Anat. §. 260. (ee) de Circular. Humor. Motu in Oculis p. 87. (ff) de Fibra Motrice Lib. I. Cap. VIII. Prop. IV.

ſuaſum habent. THEBESIUS, HEISTERUS & HOVIUS per Auriculas Cordis illam tranſudare affirmant.

§. XIII.

HIPPOCRATIS opinionem falſam eſſe, Anatomia duce eluceſcit; quoniam nulli hactenus ductus ex Aſpera Arteria in Venoſam tendentes ab Anatomicis inventi atque detecti fuere. LOWERI ejusque aſſeclarum ſententiam aſſumere non poſſumus. Glandulas enim, quas vel in Pericardio vel in Corde ipſo exiſtere volunt, in ſtatu naturali demonſtrare non potuerunt. Equidem nos non fugit interdum Pericardio morbo affecto, in eodem reperta fuiſſe corpuſcula glandulas mentientia; ſed ſi ſtatum hominis naturalem perveſtigatius inſpicere ac demonſtrare volumus, omnia argumenta ex Anatomia morbis demortuorum petita probe ponderanda ſunt, cum aliter pleraque ſeſe habeant in inciſo corpore morbido quam ſano; & hinc a ſtatu præternaturali ad naturalem nulla ſæpiſſime valeat conſequentia. Idem de MURALTI cenſendum eſt judicio. Glandulas quidem ſecretioni dicatas eſſe non negamus; quum vero Thymi glandula excretorio deſtituatur ductu ad Pericardium tendente, ideo cum VESLINGIO liquorem hunc a vaporibus ex Cordis Pericardiique arteriis exhalantibus deducimus; ſed hacce cum differentia, quod, quamdiu homo ſanus vivit, non niſi ſub humidi vaporis forma adpareat, qui in ſtatu præternaturali atque morboſo, & antequam fores mors pulſat, & adhuc magis poſt mortem primis diebus in liquidum quoddam aquoſum, ſeu ſic dictum Liquorem Pericardii condenſatur.

§. XIV.

Glandulas, ut & Arteriarum fines omnium ſecretionum organa eſſe certiſſimum eſt. Cor atque Pericardium glandulis obſita eſſe nemo perſpicaciſſimorum & ſolertiſſimorum corporis humani ſcrutatorum in hunc usque diem detegere potuit. Secretionem autem hujus vaporis in glandulis non fieri ex præcedente §. elucescit. Sponte igitur patet, ſecretionem hanc Arteriis adſcribendam eſſe; quod & ſana dictitat ratio, & experientia confirmat.

I. Vaſorum enim ſanguiferorum tanta copia §. IV. & VIII. eorumque in minutiſſimos ramulos diviſio non ſoli proſpicere nutritioni probabiliter concludere licet.

II. Injecta per ſiphonem in Coronarias atque Pericardinas Arterias aqua, non ſolum Cordis Auricularumque externam, Pericardiique internam madefacit ſuperficiem, ſed & in ipſam Pericardii erumpit cavitatem.

III. In omnis corporis noſtri ſuperficiei puncto, ut & in omnibus cavitatibus, oris, faucium, œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, aſperæ arteriæ, pulmonum, pleuræ, peritonæi, veſicæ □riæ, uteri &c. inveniuntur vaſcula exhalantia arterioſæ proſapiæ, tanta ſubtilitate, ut juxta calculum LOEWENHOECKIANUM in ſpatio vulgare ſabuli granum capiente hient centum & viginti quinque millia talium vaſculorum, ſubtiliſſimum exhalantia vaporem, per ſe quidem inviſibilem, niſi corpus e calida atmoſphæra in frigidulum transfera-

mus aërem; aut metallum politiſſimum, optimeque deterſum & frigefactum ſubito parti cuidam corporis noſtri offeramus; aut homo radiis ſeſe ſolaribus exponat, & ſic umbram hujus vaporis in pariete gypſo oblinito conſpicuum reddat. Sed non obſtante incredibili horum vaſculorum exilitate, SANCTORIUS, in cujus memoriam Sanctoriana audit Perſpiratio modo dicta excretio, triginta annos in inſtituendis ſudans experimentis, invenit exhalationem hancce ſpatio viginti quatuor horarum adæquare quinque octavas partes eorum, quæ aſſumſerat. (gg) Cur ergo Cordi atque Pericardio ejusmodi vaſculorum præſentiam denegaremus certe non videmus.

§. XV.

Ex hactenus dictis vera & genuina vaporis Pericardii origo clare intelligitur. Nunc ordo requirit, ut demonſtremus, eum in magna copia naturaliter & in ſtatu ſano, non ſine periclitatione ſub forma lymphæ in ſacco hocce commorari poſſe. Ex Phyſicis notum eſt, omne corpus grave ex conſtanti gravitatis lege verſus centrum terræ tendere. Ergo humor hic, quoniam homo corpus maxime erectum naturali poſitu & aſſuetudine gerit, illi capſulæ parti incumbit, quæ Diaphragmati annexa eſt, cumque, ut cadaverum nos docet inciſio, tertiam circiter tantum partem Pericardii repleat, Cor undiquaque humectare atque lubricare in hoc poſitu non poteſt, quod tamen ad ejus motum, qui liberrimus eſſe debet, requiritur. Sed ſi Natura fine ſuo potiri

(gg) HALLER. l. c. p. 581.

potiri deberet, ut tota cavitas dicto liquore repleta sit, opus esset. Sed majus exinde Cordi nasceretur damnum, quam emolumentum, teste Hydrocardia. Liberum enim Diaphragmatis ascensum pondere suo in exspiratione, liberamque Pulmonum expansionem in inspiratione mole sua impediret hic humor. Cor præterea partesque adjacentes comprimeret, circulationem humorum in iis turbaret, consequenter motui Cordis, præprimis diastaltico, haud leve inferret impedimentum. Ergo sine sanitatis detrimento sub forma aquosa adparere minime potest. Eum vero vaporem humidum esse §. XIV. no. III. dicta sufficienter demonstrant. Sed quid, si variis ex caussis v. g. aucto humorum circulo, oscula exhalantium horum vasculorum ita ampliantur, ut loco insensibilis vaporis lympham evomant, quemadmodum hoc in corporis externa superficie haud raro contingit, nonne Cor periculum modo indicatum incurrit? utique si in magna copia hic liquor in sacco Pericardii colligeretur. Sed quo minus hoc incommodum eveniat, provida prospexit Natura, si collectio ejusdem liquidi modica est. Notum enim est, fluida corporis nostri sufficientis caloris vi rarefacta, in vapores verti sese quaqua versum dispergentes. Quod si nunc Cor ejusque capsulam examini subjicimus, omnia reperimus requisita ad fluidi cujusdam in vapores conversionem necessaria. Pericardium enim ita fabrefactum est, ut vapores libere sese in eo expandere possint, sufficiens quoque ob Cordis viciniam adest calor fluidum quoddam in vapores resolvens, cum calor corporis humani secundo Chemicorum ignis gradui (hh) quem destil-

(hh) BOERHAAV. Chem. T. I. p. 414.

destillatorium vocant, æqualis sit. Sponte igitur liquet, humorem per oscula vasculorum Cordis Pericardiique dilatata in hujus cavitatem advectum mutationes dictas subire debere.

§. XVI.

Vaporem hunc ad Cordis motum facilitandum, illudque lubricandum ipsa aqua multo præstantiorem esse sequentia nos persuadent. Aquam quidem calidam magna ac insigni vi emolliente præditam esse nemo negabit. Si vero particulæ ejus caloris ope in minores minoresque semper dividuntur moleculas, quo ipso liberior illis in corporum poros introitus conciliatur, probabiliter concludere licet, aquam calore in vapores resolutam majorem emolliendi atque lubricandi efficaciam, fortioremque penetrationem acquirere. Præparatio Cornu Cervi vaporis balnei ope (ii) sufficienter hæc probat. Sic & vesica suilla arida vaporibus calidæ exposita aquæ, citius in pristinum redit statum, quam in ipsam submersa aquam.

§. XVII.

Ex Physiologicis notum est, humores corporis nostri si stagnant, & non continuo renovantur, corruptioni atque putrefactioni admodum obnoxios esse. Patet exinde, Pericardii vaporem semper debere absorberi, cum sanguine iterum misceri, hujusque in locum per arterias novum advehi, ne mora putrescens acrimonia sua Cor lædat. Venas, vasaque lymphatica humores, munere suo functos,

(ii) Van SWIETEN T. I. p. 190.

functos, revehere, partim ſanguini admiſcere, partim vero ductui thoracico tradere, ut ad reiteratas ſecretiones apti evadant, neminem fugit. In omni corporis noſtri ſuperficie vaſa reſorbentia venoſi generis inveniri noto notius eſt. Demonſtrat hoc inunctio corporis cum Mercurio vivo inſtituta pro excitanda ſalivatione. Cor atque Pericardium ubique venæ perreptant, in Cavam partim, partim in mediaſtinas, pericardinas atque diaphragmaticas ſeſe exonerantes. Lymphatica vaſa ad thoracicum abeunt ductum. Hæc igitur vaſa vaporem Pericardii abſorbent, partimque ſanguini admiſcent, partim vero ductui thoracico tradunt.

§. XVIII.

Enucleata Pericardii vaporis origine atque natura; ratio reddenda eſt, cur in cadaveribus morbo defunctis ſub forma aquæ, loturæ carnis ſimilis inveniatur? Notum eſt, fluida caloris vi in vapores mutata tamdiu horum retinere naturam, quamdiu idem caloris gradus perſiſtit, imminuto vero hocce calore, vapores hi condenſantur, in guttulas confluunt, atque ſub priſtina ſeſe oculis noſtris ſiſtunt forma. Idem & in Pericardio fieri experimentis conſtat. Aperta enim animalis cujusdam viventis capſula Cordis, tenuis ſtatim & copioſus aſcendit vapor, qui decreſcentibus miſerrimi animalis vitæ ſpiritibus, ſenſim quoque, ſenſimque decreſcit, ita ut tandem nil niſi levis mador, internam Pericardii, atque Cordis Auricularumque externam occupans ſuperficiem, remaneat, qui refrigerato corpore in guttulas demum confluit. Ex analogia igitur concludere licet, eandem Pericardii

cardii vaporis in homine ſano eſſe naturam atque conſtitutionem, qui præſente morbo, & decreſcente calore naturali paulo ante & poſt mortem refrigerato corpore in guttulas confluit, & ſub forma aquæ adparet. Sed unde color interdum rubicundus? ab admiſto ſanguine. Unde hic ſanguis advenit? ex Cordis antris illum provenire non poſſe ſtructura eorum (§. VIII.) confirmat. Auricularum vero texturam præcipue dextræ (§. IX.) ſi conſiderate perpendamus, ex his, ut & ex arteriolis quibusdam Cordis illum provenire affirmare minime hærebimus. Inſtante enim morte vaſorum tam arterioſorum quam venoſorum tonus ſenſim debilitatur, Auriculæ ſanguine obruuntur, ab eodem extenduntur, pori dilatantur, per quos dein ſanguis in cavum Pericardii tranſudat. Cor interim validis contractionibus ſanguinem a venis acceptum in arterias valde debilitatas expellit, quæ ſanguinis impetui impares ab illo dilatantur; quo ipſo etiam arteriæ, in ſtatu naturali lympham vehentes, nunc præternaturaliter dilatatæ, ſincerum admittentes ſanguinem, in Pericardii ſaccum loco lymphæ, rubicundum eructare debent cruorem.

TANTUM.

SOLI DEO GLORIA.

